



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.

Leroy, François

Pragae, 1666

De Occasione, Fine, Methodo Huius Operis, Autoris Ad Lectorem Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

DE OCCASIONE, FINE, METHO-
DO HUIUS OPERIS, AUTORIS AD
LECTOREM PRÆFATIO.

Nni plusculi sunt, *Lector in Christo crucifixo dilette*, cùm lucem aspexit R. P. ^{Scribendi occasio.} Francisci de la Croix, viri è nostra Societate, multorum munerum præclarè gestorum laude insignis, *Hortulus Marianus*, violis, rosis, lilijs, aliisque, de celi areolis, transumptis floribus consitus; hoc est, multiplici erga Dei Matrem sanctorum affectuum varietate, atque omnigenâ piarum artium eandem colendi ac deme rendi amoenitate, floridus. Qui statim atque est editus, cum piorum coepisset teri manibus, móxque in varias con versus linguis, non minori passim utilitate, quād aviditatem legeretur; animum subiit ea cogitatio: quando tria essent viderentur, sive Christianæ pietatis incitamenta, sive certius consequendæ salutis adminicula præcipua, *JESUS crucifixus, Sanctissimum Sacramentum, MARIA Virgo*: fortassis è re Christiana futurum, si duo insuper simili formâ conficerentur atque instruerentur Hortuli, *Passionis* alter, alter *Eucharisticus*; non mediocrem & ipsi (ut spes erat) apud ejusmodi sanctorum artium studiosos, utilitatem habituri. Jámque prioris illius, Hortuli Passionis videlicet, descri bendi partes adornandique mihi sumperoram, eundemque plantis salutaribus, tametsi in parte amaris, conserendi; nardo, croco, myrrha, alōc, balsamo, è sacro Cantico istuc translatis.

Veruntamen alijs graviorum partim studiorum, partim curarum occupationibus, intermissa quidem est annis pluribus, at ex toto nunquam omissa ea cogitatio: cùm inter dum, siquid inter legendum commentandumve incideret, quod eam in rem posset facere, studiosè annotarem; alias

a

autem,

Hort: de
arte Poët:

autem, per succisiva, aut quasi spiramenta temporum,
nunc hoc, nunc illud exercitium, nullo ferè ordine mate-
riæ, sed prout occasio animisve ferret, conscriberem. Ita
ipsâ die, tanquam sub manu crescente materiâ, aut (quod
Vates ait Venusinus) *currente rotâ*, exiit denique, non ille
animo destinatus & preconcepitus Hortulus, sed grandi-
uscula hæc circa JESUM crucifixum Occupatio.

Scriptionis
finis & for-
ma.

In qua adornanda id fuit præsertim propositū, ut Lecto-
rem meum ante omnia ad Christi patientis gratam memo-
riam, venerationem, amorem incitarem ; tum verò ad
eius diligentem imitationem (in qua Christianæ veræque
virtutis perfectio omnis constituta est) sensim ac pedeten-
tim adducerem.

Presat. ad
hif. nat.

Ea propter inprimis id secutus sum, ut pleramque ope-
ris à me suscepit materiam, non soluto ac libero discursu,
seu diffusiore methodo, tradicerem, neque accurato quo-
dam ordine, aut artificiosa dispositione deducerem (quo-
rum utrumque fieri potuit, minori fortassis operâ, majore
splendore ac dignitate scriptionis) sed in formam potius
exercitorum, præceptorumve asceticorum cogerem, ac
facilioribus primùm positis, deinde ad majora progrede-
rer : quòd nimur magis, studiosarum mentium, & in via
spiritus proficere eupientium, commodis utilitatibusque
servirem ; illorum Scriptorum imitatus industriam, qui
(ut Plinius ait) utilitatem juvandi, pretulerunt gratia pla-
cendi.

Eadem ex causâ, tum precatio[n]es quasdam interdum
rhythmolvæ sacros intermisceo ; tum revelationibus do-
ctrinâve sanctorum faminarum, Gertrudis, Mechtildis, Ca-
tharinæ Senensis, ac Genuensis, Angelæ, Teresiae, aliarumq;
plurium, sparsim nec illibenter utor : quod earum dicta
atque exempla, apud eos quibus præcipue studet hic noster
labor, aliquam existimem spiritualem utilitatem allatura.
Quæ sane in parte duces habeo viros præclaros ; nomina-
timque

timque Ludovicum Blosum, Lætiensem in Belgio Abbatem, Autorem in isto scribendi genere laudatissimum, aliosque Scriptores asceticos, etiam nobis liberalius, ejusmodi sanctorum sententijs scripta sua passim respertentes. Fatabaturque P. Petrus Faber, vir rerum spiritus experientissimus, & S. IGNATII in Societate constituenda filius primogenitus, multam se ex libris S. Gertrudis orandi silvam suo commodo comparasse: nosterrq; item B. Aloysius Gonzaga, lectione vita B. Catharinæ Genuensis (in qua sublimia continentur vitae spiritualis axiomata) magno habebat in pretio; ut Nicolaus Lancicius restatur. Idem fuit viri magni sensus De arid. in Roberti Cardinalis Bellarmini, de quo ita P. à Petra sancta orat. c. 6.

L. 1. c. 4.
in ejus Vita: Oblectabatur etiam vita S. Catharina Senensis, L. 2. c. 8.
& B. Catharina Genuensis, propter sensa animi sublimia, que communicaverat illis DEUS. Ubertinus porro de Casali, in Prologo primo Arboris Vitæ crucifixæ Iesu, gratulatur sibi plurimum, quod in notitiam sanctissimæ (ut ait) & veræ angelicæ, Angelæ de Fulginio, adhuc viventis adductus sit; ex cuius usu & consuetudine, se ita agnoscit illustratum suum: ex divinitus, ut absteris pristinis animæ sua languoribus, Christi spiritum in se de novo genitum senserit: ibidemque quandam memorat devotissimam virginem Cæciliam Florentinam, per quam itidem ait in arcana Iesu se introducendum esse.

Atque utinam illius spiritus qui de predictarum Christi sponsorum scriptis aspirat, altorumque sensuum, quibus ipsas imbuit arcana divinorum experientia, in mentes nostras pars aliqua derivaretur! fortasse non modò (quod ajunt) tenera cuiusdam devotionis, sed robustæ quoque solidæque virtutis plus haberemus. At quando non omnes eiusdem sunt sensus, & quasi genij spiritualis; poterit, cui minus hæc arriserint, ea cum occurrent, oculo negligente transmittere, eique quod forte ad palatum magis faciet, immorari studiosius, ex apum more videlicet, quæ pratum

floridum circumvolantes, omnes quidem flores delibant,
sed alios leví tanquam osculo tentatos omittunt, cupidiū
alijs insistentes, quos operi suo magis senserint opportu-
nos. Ego interim pro meo instituto, quæ pluribus placere
ac prodeesse posse, existimarem, mihi fastidiosè aspernanda,
aut (cùm res ipsa postulare visa est) penitus omittenda non
censui.

Styli ratio

Postremò eundem in finem styli rationem aut loquendi
formam attemperavi. Nam et si in eo non nihil operæ po-
suerim, ut nè sordidus planè aut etiam abjectus sermo esset,
quod nonnullos intelligam à piorum librorum lectione,
ipsa barbarie, aut nimiè styli simplicitate absterreri: non
tamen adeò cā in causā religiosus extiti, ut vocibus varijs,
quas vel erudita SS. Patrum autoritas, vel scriptorum etiam
asceticorum usus recepit communissimus, propterea mihi
abstinendum scrupulosius censerem, quod eas latini auto-
res, vel non omnino, vel non eum in sensum usurpaverint.
Habet enim, quemadmodum disciplinæ reliquæ, immò (ut
l. 3. de finib. Tullius observat) ars omnis, ita ascetica quoque doctrina,
propria sibi vocabula; quæ cùm necesse sit identidem in-
ejuïdem operis tractatione recurrere; & voce aliquā pere-
grinā, seu cā in arte minus familiari, vel operoso longēque
dusto verborum circuitu, eorum vim exprimere volueris;
aut obscurum te feceris, aut prudentioribus etiam riden-
dum præbueris. Nam cùm verba constet, sententiæ gratiā,
non autem è contrà, sententiam verborum causā esse; idq;
tum maximè spectandum sit, cùm non loquendi ars tradit-
tur, sed bene vivendi operandique disciplina: stultum erit
probrosūmque scriptori, dum verborum formas curiosius
exquirit, sententiam perdere; & supervacui ridendique la-
boris, cō per circuitus atque anfractus eniti, quod facile
liceat, viā simplici rectōque itinere pervenire.

*l. 1. in Lec.
cap. 2.*

Exaudiam igitur S. Ambrosium ita quodam loco præci-
pientem: *Si ipsi Philosophi eorum qui totos dies in disputatio-*
ne

ne consumunt, minas latinis & receptis usi sermonibus sunt, ut
proprijs uterentur: quantò magis nos negligere verba debe-
mus, pectare mysteria? Placētque itidem quod hic submo-
net Lætensis Abbas: Pictati (inquiens) admodum amica est Pref: can:
simplicitas; fitque nescio quo patto, ut verba curiosius exulta sit: spir.
cor plerumque non tam penetrent, quam demulcent. Ita ille
scriptor religiosissimus & sapientissimus; cuius nos in toto
opere, non modò sensa sèpe sestabimur, sed etiam verba
subinde pluscula ponemus.

His salve, mi Lector, & isthoc quidquid est opellæ meæ,
tuo commodo utere; & me (liquid de te hoc meo labore
bene merui) in Christi vulneribus ac visceribus com-
mendatum habe.



a 3

PAR-